

monstratam; si magistratus nullum suspendat furem, nisi metaphysice certum; si populus nullum audiat principem, nullum principis mandatum agnoscat, nisi metaphysice certus: Vale societas, vale idolum naturalistarum, & Politicorum unicum, valete commoda hujus vitæ: ad nosocomium veteres migrate coloni, & novis istis mundum pro magno nosocomio relinquite.

192. *Tertio*, num in *rebus moratibus*, in bono & malo, justo & injusto, in *Jure naturæ* præmittenda sit iudicio certitudo rationum intrinsecarum, excludenda vero auctoritas? jam nimis diffuse à nobis disputatum est tribus aliis locis, nempe in *Larva detracta*, & in *Jure Naturæ*, & in *Hypodigmate Politico*, eorum sententiam, qui in jure naturæ moderno non ficto volunt sola ratione, præclusa auctoritate, utendum esse, periculosam civitatibus, & magistratibus fabam credere.

Sensui communi repugnant ista, & hoc satis est, ut nemo ita sentiat, ut isti.

193. Qui vero hoc tentarunt, & apodicticas, ut Puffendorffius, ac mathematicas ut Wolffius, demonstrationes promiserunt harum rerum, ii miserandum orbi spectaculum præbuerunt, cujus

aliquam scenam nos etiam exhibuimus in *Larva detracta* Cap. XVI. & XVII. & in *Diatribæ de Methodo* Wolffiana.

194. Superest *Quarto*, ut rationes metaphysicæ, aut physicæ iudiciis præmitti debeant in materia religionis?

Equidem eruditissimus Laminus Pritanius, qui semper *regnum rationis hodiernum* cum admiratione suspexit, in libro de *Moderamine ingeniorum in negotio religionis*, magno conatu pro *Ratione* ejusque regno pugnavit, & rationem jussit ire ante fidem, seu ante iudicium, quo assentimur credendis.

Verum, is non pugnavit pro ratione intrinseca Physica, aut metaphysica, sed pro *extrinseca*, hoc est pro *ratione credendi*, non pro *ratione sciendi*: *ratio* autem *credendi* est ipsa *auctoritas*. Igitur Muratorius non voluit ante fidem divinam præmitti rationem intrinsecam, sed aliam fidem disponentem, nixam nimirum experientia & sensu communi. Vid. de his copiose *Jus naturæ* Cap. VIII. Them. XI.

195. *Qui velit ingenio cedere, nullus erit*. Nulla ergo erit religio, si ingenio res decernenda est, aut tot erunt, quot capita, religiones. Sunt vero multi, qui seposito ingenii certamine cedant

dant auctoritati. Et facilius est etiam mediocribus, discernere auctoritatem ab auctoritate, quam rationem à ratione. Auctoritate vivendum nobis esse, sentimus non tam quotidie, quam in singula momenta; ratione intrinseca nobis vivendum vix pauci sentiunt. At religio, quæ ab omnibus agnoscitur esse medicina, quies, & salus animæ, & debitum servitutis, hæc religio, inquam, necessaria est *omnibus*, non tantum doctis, sed indoctis. Igitur religio potius ab auctoritate pendet, quam à ratione intrinseca.

196. Sicut cum lis aliqua per diversas, quas vocant, Instantias trahitur, & varie reformatur, aut confirmatur, pauci forte intelligunt, utræ rationes fortiores sint, an reformatantium sive corrigentium sententiam primam, an eam confirmantium; utra porro auctoritas potior sit, neminem latet vel parum attentum. Rationum pugna semper infinita erit, auctoritatis saltem finita dubitatio est.

197. Quare, qui jubent nos nihil affirmare religiosum, donec rationes intrinsecas finitas, ac evidentes habeamus, illi nos jubent nunquam affirmare quidquam religiosum, hoc est, jubent nos esse sine religione usque in alteram vitam.

**QUIBUS AUXILIIS
Possumus rationes intrinsecas certas obtinere ante iudicium, ne iudicium sit præjudicium?**

198. **Q**ui nos hortantur aliquid quid facere, quod difficile sit, ii debent nobis præbere auxilia ad id faciendum, aut saltem indicare, unde repetere auxilia possimus.

199. Ejusmodi auxilia nobis promiserunt *veteres Philosophi*, sed debilia; & hi ridentur à novis.

200. Præbuere auxilia philosophi novi, Cartesius, Gassendus, Mallebranchius, Lokius: sed inter se pugnant de iisdem auxiliis.

201. Auxilia præbuere Leibniti, Puffendorffius, Thomassius, Heineccius, Wolffius, sed fallacia.

202. Auxilia præbuere spondit auctor spiritus legum, sed auxilia nobis præbuit terrea tanquam plantis, & carnea tanquam canibus, nempe *clima* omnium *dominum*.

203. Wolffius ad hoc methodum invenit scientificam, sed quæ ne methodus quidem sit, ut ostendimus in *Diatribæ*.

204. An ergo nobis ad rationes demonstrativas ante iudicium inveniendas, auxilio erunt libri? & qui? Turcarum an Sinenſium, Græcorum an Romanorum, Spiritus legum an Evangelium?

Sed, ubi de ipsis libris iudicium ferendum est, unde hauriemus rationes evidentes ad iudicandum de his auxiliis, nempe libris? Ex Criticis, inquis. Verum è quibus tandem criticis? an ex Simone, an ex Tillemonio? Ex Papebrochio, Germonio an Mabillonio? ex Muratorio an Clerico Bælio, Bailleto? pugnant enim inter se?

205. An potius auxilia, & rationem condiscemus à magistris vivis? quibus autem illis? qui sunt Patavii, Romæ, Parisiis, Halæ, Jenæ, Gottingæ, aut quibus demum?

Et ego putabam nos rationem prius audituros, deinde magistros. Nunc prius magistros habere esset opus, quam rationem: & quid hoc aliud, quam præjudicia sectari nova, dum vetera sunt auferenda?

206. An potius rationem discemus disputando cum aliis: uter autem disceptantium vincere debeat?

207. An nobiscum, & ex nostro fundo eruemus rationes?

Non ita secum pugnant Notus & Boreas, frigida calidis, & humentia ficcis, quam quas secum solo quisque ruminans invenit rationes.

Et de inventis per nos rationibus erimus certi? an & de his erit dubitandum, dubiumque rationibus tollendum?

208. An recurrendum ad DEUM illuminatorem cordium? Sed verendum est, ne hic *revelatione* nos velit regere. Procul procul revelatio à moderna vita, à jure naturæ, à scientiis humanis. In exilium revelationem, ad alteram vitam. Præclara quidem Revelatio sed ob hoc ipsum in his Athenis locus illi non est, Ostracismo digna est; testos & calculos inscribent Thomafius, Puffendorffius, Gundlingius, Wolfius, Naturalistarum tribus omnis.

CUR

Præmittendæ sint iudicio rationes metaphysica, ne PRÆJUDICIA sint?

209. NUM propter rem publicam & societatem hujus vitæ? Nescio, an metaphysici demonstrare cuncta volentes reipublicæ sustinendæ sint idonei magis, quam homines auctoritati mul-

multum tribuentes. Et quis non videt hominem de republica, de bello & pace, de fortunis dicentem sententiam ex rationibus mathematicis & metaphysicis? Ratio *sola* parit res publicas Platonicas, Severamborum, Utopiæ.

210. Num propter res privatas, œconomiam, culturam agri? Acutissimi plerique fuere rei privatae, ac decori etiam negligentissimi. Magliabeccius, Leibniti, alique afferuntur in exemplum, & proverbio fertur, *Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.*

211. Forte id necesse est, ut scientiæ floreat? ut Jurisprudentia, Philosophia, ars medica?

Sed problema est necdum in alteram partem certo finitum, an, aut quæ scientiæ tantam utilitatem præsentent generi humano? an illæ, quæ nunc scientiæ dicuntur, non plus noceant? an necessariae sint ad vitam quamcunque? an sine his aliquando stare mundus potuerit? An prodesset nostræ reipublicæ jurisprudentia illa, quæ singulis decisionibus præmittere pararet rationes physicas, metaphysicas, mathematicas? Sed hæc amplius excutere forsan ad illam tractationem pertinet, qua *Regnum rationis* ad examen vocatur.

212. An ideo ratio præmittenda est, ut interna animi tranquillitas obtineatur? Demus hoc. Sed tamen Epicurus tranquillitatem non invenit in ratione, sed in voluptate: Zeno non in ratione, sed in apathia & stupiditate: Puffendorffius non in ratione, sed in commodis hujus vitæ. Et sic porro ratio in dissonos motus definit, quietem animi, inquieta ipsa cum sit, non parit.

213. An vero ratio ideo præmittenda est, ut religioni consulatur? Sed quotquot rationem metaphysicam præmittere fidei contenderunt, illi raro, aut nunquam religionem reppererunt. Quotquot non ante adferri religioni volebant, quam rationem intrinsecam perspexissent, mansere fere sine religione, & quam habuerant ante religionem, sæpe omnem exuerunt: Spiritus nempe *fortes* dicti, quibus nihil est imbecillius: quippe qui cum toto suo jactato spiritus robore non possint id, quod simplex quisque potest, nempe credere & auctoritates ponderare.

214. An denique propter æternam animæ vitam rationes sunt præmittendæ? Sed hanc isti vix suspicionibus cum Puffendorffio subodorantur. Quos rogatos velimus, ut grande hoc ro-

bur spiritus sui impendant ad hoc, ut immortalitatem animæ, & vitam futuram in clara luce ponant. Possunt eam satis clare attingere multi imbecilles & simplices, quos isti semidei contemnant tanquam vulgus: cur non possint illam clare complecti isti athletæ? An fortitudo horum spirituum tantum in eo est, ut negent omnia, hoc est ut nihil capiant? nam qui quid negat, ille aut dicit se hoc non capere, aut ludit. Vos ergo spiritus fortes agnoscam, & suspiciam, qui tanta negatis, hoc est, qui tam multa non intelligatis? & illos contra dicam simplices & imbecilles, qui plurima vobis ignota toto animo admittunt, & hauriunt?

QUOMODO

*Præmittenda sit ratio
judicio, & deponendum
Præjudicium?*

215. **M**ultum sæpe momenti in modo est; quidquid excedit modum, vitio propinquum, aut vitium est. Ipsa medicina immodica, ipsa sanctitas immodica, ipsa immodica sapientia, immodica justitia insipientia est, injustitia est. *Summum jus summa injuria.*

216. Modum ergo, quo præjudicia ponenda, quòve ratio judicio præmittenda sit, docere nos debent admonitores isti, si boni sunt.

Modus autem in rebus consistit plurimis, quas omnes enumerare sit nimis longum. Pauca seligamus.

217. Quæro igitur, an *absolute* deponenda præjudicia five judicia, quorum ratio antecedens perspecta non est? an tantum ea conditione, ut tamdiu seposita maneant, donec spes sit aliquid melius deprehendendi; spe hac evanescente, iterum reproducantur ex angulo? spe vero rursus allucescente rursus in angulum detrudantur, & sic porro? idque de quovis judicio in quavis materia?

Hoc modo si cum præjudiciis agendum est, nullum erit tam vorticosum mare, nullus tam incertus Euripus, quanti erunt vortices ii, in quos abripiemur imperato hoc præjudiciorum negotio. Non septies de die patiemur æstum, sed septuagies una sola de re. Ad vertiginem & stuporem mentis, & certam stultitiam his ducibus cito pervenimus.

218. Rursus quæro, an præjudicia subito, uno velut ictu excindenda sunt omnia? Sed præjudicia recidi nequibunt, nisi inven-

ventis demonstrationibus, unde tam subito tot nobis demonstrationes? nobis inquam, qui ob præjudicia hætenus fuimus incapaces demonstrationis vel unius?

Præsertim si id imperetur homini Indo aut Afiano, aut homini Anglo? Hi enim per clima suum non sunt capaces ad ullum motum, ullam cogitationem, ullum conatum animi; ipsorum machina omni momento se invenit sine actione, ita, ut ipsa existentia ei sit gravis, quemadmodum docet Auctor Spiritus Legum. Et unde homini per clima, nervos & cutem ad omnem conatum incapaci, tot demonstrationes ad omnia præjudicia subito eluenda?

219. An potius *lente* & *pedetentim* est progrediendum, ita, ut unum præjudicium ictibus repetitis succumbat, & uno præjudicio evulso evellatur alterum, hinc tertium, quartum.

Magnam video ante me silvam, hanc ego succidam solus, inter tot negotia, ad quæ factus sum? inter comedendum vestiendum, dormiendum?

Si unumquodque præjudicium nonnisi repetitis ictibus dejiciendum est, cum non sit facile invenire multas demonstrationes: quam arduum erit integram ex-

cidere silvam? Tot præjudicia infantia, tot præjudicia educationis, tot præjudicia scholæ, tot præjudicia nationis, præjudicia civitatis, familiae, religionis, legum, librorum, consuetudinis propriae, climatis, rerum ad corpus pertinentium, ad animum? Horresco referens.

220. Et metus est, ne tribus præcis præjudiciis per ipsas demonstrationes, mihi subnascantur sex alia præjudicia, nam si demonstrationes Cartesianas accipero, si Wolffianas, in præjudicia me nova pertrahent hæ ipsæ.

221. Possit etiam quæri, an *interne* solum, an solum *externe* præjudicia sint ponenda. Sunt qui interne nihil judicant in aliquibus rebus, nisi demonstratum; idque præsertim in religione. Cum ergo sint imbecilles (quamquam se fortes spiritus ipsi dicant) nec possint invenire demonstrationes in rebus divinis ac religiosis, ideo fit, ut interne nihil judicent plane, nihil affirmant, nulli religioni consentiant, nihil credant. Externe vero vivunt secundum omnia præjudicia, sequuntur, & exercent omnia præjudicia, homines hybridi, animalia amphibia. Et hi se dicunt *de religione prudentum*. Prudentia enim, si superis placet, est, *nihil* judicare, & præjudicia *omnia* sequi.

Sed jam vela contrahere prolixo sermonis decet. Faciamus interrogationem postremam:

QUANDO
Ponenda sint præjudicia,
& demonstrationes judiciis
præmittendæ?

222. **O***Mnia tempus habent.* Bellum igitur præjudiciis indicendum tempus habebit futurum.

Et ante centum, & paulo plures annos nondum fuit hoc belli tempus. Nondum enim erant missi faciales, nondum vivebant hi nostri monitores; præsertim non auctor spiritus legum, quippe natus nudius tertius. Illo igitur tempore in pace erant præjudicia.

223. At hodie *regnum rationis* opes suas adauxit plurimum. Rarum est, ut duo regna opulenta, vicina, viris, armis frequentia diuturna pace fruantur. Regnum præjudiciorum vetustate sua & amplitudine grave, opes ex longa pace cumulavit, dominatum extendit in omnem quæ late patet, orbem terrarum.

224. Regnum rationis novum quidem, sed irrequietum & improbum; angustum quidem, & fere in folius septentrionis ali-

qua parte conclusum (quippe Auster Catholicus ignorantia præjudiciorum adhuc paret) at tamen magna opinione tumidum, ranæ instar contra bovem sese inflat.

225. Fieri vix potest, ut adversarii tam potentes non ruant in arma. Bellum in Europa maxime geritur: nam Asiani incapaces sunt ad omnem motum, ad omnem conatum animi.

226. Cum igitur hodie, ac heri nati sint regno rationis duces & faciales, hodie erit belli hujus tempus. Regnum præjudiciorum educit copias suas, Philosophos meliores Græcos & Romanos: leges Romanas, totum apparatus legum Ecclesiasticarum, Patrum & doctorum: Ducem vero sequitur Christum, & quidem patibulo affixum.

227. Stultitiam hanc abominatur regnum rationis, & in aciem educit methodos scientificas, principia & elementa Cartesiana, harmoniam præstabilitam, assistentiam Mallebranchianam, Rationem sufficientem Wolffianam. Ducem sequitur non unum, quippe *qui velit ingenio cedere nullus est*, sed multos, varios, inter se discordes & pugnantes, Hobbius, Puffendorffius, Leibnizius, Grotius, Wolffius, Spiritum legum, Gundlingium.

228.

228. Jamque concurrunt: fit pugna. Sed nostram jam nos alii agamus rem. Quando, quo tempore præjudicia ponenda nobis sunt, & demonstrationes præmittendæ? hodie, cras, perendie?

An statim infantes debent demonstrationes quarere, ante quam quidquam judicent? Nempe deinceps Platonēs & Catones ex utero matris prodibunt. Sed ajunt, præcoci ingenii pueros raro senescere. Deinceps igitur rari erunt in orbe senes: cumque in senibus hætenus sedem sapientia plerumque habuerit, deinceps rari erunt in orbe sapientes. Et quò dein regnum rationis? viris, viribusque illud destitui necesse est.

229. Sed quo demum, dic fodes, ætatis anno incipiendæ sunt demonstrationes? Tertio, quinto, septimo, an decimo?

Non ais? & cur non? Quia infantes & pueri sunt incapaces ad omnem motum &c.

Ergo nihil debent discere pueri? quomodo enim discant, nisi sciant demonstrare? Discant in suam perniciem, quia mera præjudicia discant, eoquod non possint præmittere rationes demonstratas.

230. Discant ergo, inquis, præjudicia pueri; præjudicia necessaria sunt pueris. Sed deinde ea deponere debebunt. Viris non sunt necessaria præjudicia; quia viri sciunt demonstrationes necere. Viris noxia sunt præjudicia. Nocent viris ea, quæ pueri debuerunt discere.

231. Virilis ergo, ut nunc audio, ætas est illud tempus, quo præjudicia sunt deponenda. Viri facti debent judicia omnia, quæ in pueritia, adolescentia ac juventute fecerunt, revocare, ac penitus à se abdicare, quia fuerunt præjudicia. Nunc autem, antequam de novo quidquam judicent, debent demonstrativas rationes conquirere, necessarias ad omnia deinceps judicia faciendæ.

232. Non repugno ego, neque hunc laborem viris invideo. Sedeant, laborent pro virili parte. Duo sunt tamen quædam, quæ de felici eventu mihi metum creent.

Primum. Viri facti dicent: ego jam scholas egressus sum, non amplius sum adolescens, qui logicen ac metaphysicen discam. Hæc adolescens didici; factus vir jam sum oblitus. Nunc instat uxor, circumdant liberi, familia panem flagitat; vocat tribunal: negotia caput obruunt, fomnum